



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Index Generalis Super Omnes LII. Tomos ... Volumen I. A - P - Indicem
Nominum Propr. &c. Continens

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1775

VD18 90118685

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68012)



PRÆFATIO.

Si Indicem alicujus libri comparavero hominis memorie, a vero non adeo aberravero; quidquid enim intellectus intelligit, quidquid sensus percipit, id omne hominis memoria vivis quasi picturis expressum exhibet, nec minus etiam index, quidquid libri alicujus folia, aut paginae longa serie contextum referunt, gratioso quodam compendio legentium oculis repræsentat; quinimo veritatis limites non excedam, si affirmavero, quod talis index humane memorie defectus suppleat, usque medeatur, nam sæpius usu venit, quod quis v. g. facti a se lecti reminiscatur; ubinam autem, & quomodo relatam illud existet, non amplius recordetur, quid dein facilius est, quam recurrere ad indicem, qui ejusmodi v. g. factum & in compendio exhibet, & simul legentem modo facillime deducit ad illam operis paginam, quæ factum, prout contigit, enarrat. Nec his tantum prærogativis claret index, sed de eodem ausim dicere, quod eum, cui temporis angustia, seu negotiorum moles, aut alia causa vel nunquam ipsiusmet integri operis lectionem

)C

aut

PRÆFATIO.

aut saltem ejus repetitionem non permittunt, in proficua variarum rerum notitiam deducat, atque ipsummet, qui suo modo erat ignorans, & indoctus, reddat eruditum & doctum: ut autem aliquis index id ipsum præstare queat, suas habere debet dotes, & conditiones: præprimis in eo requiritur claritas Verborum, quibus res in integro libro contentæ recensentur: nec superfluum quid afferatur, nec quid necessarium ommittatur, atque ea, quæ indici inseruntur, modo tam perspicuo adnotentur, ut statim quis ex rebus in illo contentis certum sibi formare judicium, & de quavis materia notitiam haurire queat, quin semper recurrere opus sit ad ipsummet opus, cum sæpius per tempus id non sit licitum; insuper opus est, ut alphabeticus verborum ordo aliquem indicem condecoret, ac subjuncti eidem numeri fideliter referant libri tomulum, aut partem, & paginam: si enim vel circa ordinem, aut citationem peccatur, tunc Lector indicis auxilio adeo non adjuvatur, ut potius perturbetur, & exinde exacerbetur. Hæ sunt regulæ, quas imitandas mihi metipso præfixi: an autem easdem reapse secutus fuerim, Lectorum judicio decidendum relinquo; interim ego id unum assero, quod facilius sit quasdam præscribere regulas, quam eas in effectum deducere: ecquidem, quantum potui, in id incubui, ut adnotarem ea, quæ magis mihi videbantur necessaria, vel utilia: quandoque tamen, quid ommittendum, vel indici inserendum esset, hærebam dubius præsertim in primis hujus historice Tomulis, quæ


ab

PRÆFATIO.

ab ipsomet Abbate Fleurio conscripti, in vero, & stricto sensu promerentur nomen historice ecclesiasticæ: in iis enim solum referuntur Conciliorum Canones, necnon Pontificum, Imperatorum, Regum, atque Episcoporum Decreta, ac facta unice ad res ecclesiasticas pertinentia: cum e contra illius Continuator nimium divagetur ad materias regimen politicum spectantes, ubi etiam memetipsum peccasse postea deprehendi, cum in enarrandis ejusmodi rebus politicis nimium adaugerem indicem: ecquidem alias studui brevitati, unde hinc inde adnotabam quædam interrogando, v. g. Unde hujus rei Origo? &c. idque ideo a me factum, quia alicujus facti, aut rei naturam, & originem brevibus finnil, & clavis verbis describere non potui, prolixitatem autem, & obscuritatem omnino devitare volui. De cetero omnem conatum adhibui, ut fidei numero assignarem tomulos, & paginas, in quibus materias indicis insertas reperire datur, si tamen in tanta rerum, verborum, & numerorum copia, & diversitate nonnullos defectus commiseri, eos benevolus Lector non mihi vitio vertet, sed potius condolebit humanæ fragilitati, meorum sensuum debilitati, & naturali mentis divagationi, quibus etiam adscribendum venit, quod nonnulla scitu necessaria omnino omiserim, prout ex erratis infra subjunctis liquet. Denotavi Concilia particularia, si in eodem loco eorum plura fuerunt celebrata, juxta numeros, ex iis tamen colligi non debet, ac si hi numeri indicarent ordinem suc-

P R Æ F A T I O.

cessivum, quo fuerunt celebrata, cum sæpius in eadem urbe v. g. Romana adhuc plura ejusmodi Concilia sint habita, quam aut a D. Fleurio, aut a me fuerunt relata: numeros autem addidi ad conciliandam quamdam claritatem, & distinctionem. Concilia generalia, ne litera C. nimium excresceret, distribui inter illas literas, quibus incipiebant illorum locorum nomina, in quibus illa celebrabantur. Retuli Viros Religiosos præ reliquis magis celebres, sed nullus sibi persuadeat, acsi eos omnes enarrassem, aut enarrare voluissem, seu potuissem, quippe plurimum eorum sum oblitus, quos inter, ut de aliis taceam, celebres sunt Joannes Gersonius Parisiensis Cancellarius, & Cœlestinus Monachus, nec non Ivo Carnotensis Canonicus Regularis, prout & alii, quos Monachos aut Religiosos fuisse Fleurius haud exprimit. Recensere etiam volui celeberrimos ex Clero Sæculari Viros, sed illorum copia me obruebat, & illos colligendi tempus deerat, ideo Lectorem remitto ad anteriorem indicem, qui sparsim maximum illorum numerum exhibet. Plura quidem ad clariorem hujus indicis notitiam adnotare possem: verum quia Viris scribo me magis doctis, atque eruditis, ideo ulterioribus supersedeo verbis, id unum de typi erroribus cum Martiali subdens: Non meus est error, nocuit Librarius ipse.



GENERA.